



SERENISSIMO PRINCIPI AC DOMINO
DOMINO

GEORGIO D. G.
DUCI WIRTEMBERGENSI ET
TEKENSI COMITI MONTBELGARDENSI
DOMINO IN HAYDENHEIM &c. &c. PRINCIPI
AC DOMINO MEO CLEMENTISSIMO.

SERENISSIME PRINCEPS



QUANTUM prudentia, secundum Ethnorum
poëtarum sententiam, non pro numine habenda: tamen sub divi-
ni auxilii patrocinio, eam non negligendam, felix id molientibus
demonstrat exitus; quo frustrantur eam susque deque habentes.
Si autem ea in rebus agendis attendenda, imprimis us observan-
da, quorum munus versari circa res humanas; quæ, dum variis
obnoxie mutationibus, in contingentibus volvuntur. Etsi enim
non culpandi, qui ejus intuitu, fortunæ majestatem abrogant: tamen
neque contra pietatem faciunt, qui Divini Numinis regimen in
omnibus adorantes, ex ejus gratia, cuncta circumspicere & providè tractanda sentiunt.
Sub primæ causæ quippe directione, ceteræ quæ inde pendent, non contemnendæ. Hinc
apud Hippocratem Medico adeo providentia commendatur. Quicquid itaque is, non
secus ac strenuus miles, magni momenti, ad generis humani incolumitatem parat, ni pru-
denter agat, absque decentibus organis, aliquid laude dignum effectui se dare posse pu-
tans, nugatur. Licet qui in bello imperat, mœnia muniendi, militis legendi, in ordinem
locandi, hostem qua dolo qua virtute aggrediendi, gnarus sit: nisi armis, reliquisque ad
bellicum apparatus pertinentibus, sit instructus, tum quibus ipse se strenuum præbeat,
(etsi, non secus ac Jugurtha, manu promptus sit,) sine machinis & tormentis, pyroque pul-
vere, sine alimentis, unde hominibus & jumentis victus, inutilis erit omnis labor. Quan-
quam, inquam, scientia militari probè instructus, imparatus vero ab organis militaribus
& annona, nihil unquam quod commendari mereatur efficiet quicquam. Ita Medicus, qui
humanæ infirmitati ex DEI ordinatione fert solamen: ne, aut valetudo integra labe-
factetur, operam dans, aut, extra orbitam errans, plane evertatur: harmoniæ & symme-
triæ solidarum partium, humorum & spirituum, uti in statu sanitatis se habere debent,
peritus: nihil eum lateat eorum, quæ eam affligere, aut immutare adeoque nocere pos-
sunt, siue morbi sint, siue horum causæ: quorum præsentiam signis cognoscat, præterita
in memoriam, in horum confirmationem, revocet, futura prævidendo, de eventu, quis
qualisve sperandus, aut metuendus, compertum habeat: neque Andabatarum modo in
tenebris gladium vibrans, aut clausis oculis eorum more pugnans: sine idoneis instru-
mentis plus nocebit quam proderit. Imò, nec legitimam methodum in omnibus obser-
vans, sine hisce quicquam proficiet. Edoctus inde quidem sciet, qui morbus contrario
(
expu-

expugnandus, causa averruncanda, hujusq; vim sumentia symptomata atrocia mitiganda; viriumque, sine quarum cooperatione omnia vana, conservationem studiose expendat: quæ omnia victu, medicamentis & manu præstanda: destitutus autem sit præsidiorum materia, tunc omnis ejus scientia, peritia atque doctrina, sine suo frustrata inanis abibit & iners. Hinc magnus ille Medicorum Dictator vult ac monet, in eventum paratum esse debere, etiam non utentem. Planè uti prudentes Naucleri, navem dum tranquillum conscendentes, alto mari se commissuri, vel tunc maximè prospiciunt sibi, de illis, quorum in tempestate necessarius usus. Ita Medicum urget necessitas, ut copia sit instructus auxiliorum, quibus in artis operibus opus habet. Hæc est ratio, quod adeò commendatur DIOSCORIDES, ab omnibus, qui post ipsum, hocce studiorum genus prosecuti sunt. Qui omnem MATERIAE MEDICAE sylvam, magis copiosè, accuratè ac disertè, quam ullus ante ipsum, hocce ipso opere descripsit. In eo comprehendens, quæ, sive ex animalibus, sive plantis, sive mineralibus, ortum sibi vendicant. Hujus sanè humeris, tanquam gigantis, posteriores scriptores, veluti nani, suffulti longiùs prospexere: sicque suis meditationibus, omni laude dignis, studium hocce auxere & latius protulere. Absque quo si fuissent, fundamento tam firmo ad innitendum caruissent. Ob hanc causam, MATTHIOLUS, luculentos & doctissimos in hunc scripsit Commentarios: quos Parens noster ante annos complures suis laboribus instruxit & auctiores reddidit. Quia vero ejus in bibliopoliis apparens defectus, ob omnimodam jampridem factam distractionem, hancce editionem postulabat, ea ad SERENISSIMAM CELSITUDINEM TUAM, vel hæreditario jure accedens, venit in clientelam. Potentissimo enim Avo SERENISS. CELS. T. Pater olim suos dicavit hosce labores, sesquiannum ante ab eo in Medici munus receptus. Ea autem gratia, qua SEREN. CELS. T. me hæcenus, à multis annis, excepit & continuo clementissimè fovit, meritò me hortatur, ut nihil omittam eorum, quæ à me humilimi obsequii & honoris proficisci unquam poterunt, quin id omne, ad testificandam submissam animi gratitudinem, depromam & humiliter pronus deponam. Sunt anni circiter triginta ex quo, SERENISSIMO PRINCIPI AC DOMINO MEO LEOPOLDO FRIDERICO laudatissimæ memoriæ, placuit meo uti ministerio, dein misso diplomate in Consiliarium & Medicum, pro se & suis, gratiosè me vocare. Quod SEREN. CELS. TUA succedens imperio principatus, confirmare dignata est. Ita ut à centum annis facta supputatione per seculum plus minus integrum, SERENISSIMIS DOMUS WIRTEMBERGICÆ Laudatissimis Principibus Avo FRIDERICO, Patruo JOANNI FRIDERICO, Patri LUDOVICO FRIDERICO, Fratri LEOPOLDO FRIDERICO, & nunc SERENISSIMÆ TUÆ CELS. primùm Joannes Bauhinus patruus meus, dein Casparus pater, demum ego à Consiliis & Medic. fuerimus, nulla facta interruptione. Id ipsum humilima gratitudine ac observantia, ad obsequiorum obedientiam paratissimus, testari volui ac debui. Qua decet submissione & devotione rogans, porro SERENISS. CELS. T. gratiam & clementiam suam mihi meisque largiri pergat. DEUS OPT. MAX. SERENISSIMAM CELSITUDINEM TUAM cum tota SERENISSIMA Familia & Celsissima Prole salvam & incolumem, in pace & tranquillitate, ad sui gloriam, publicum bonum & ditionum emolumentum, protegat, tueatur ac conservet! BASILEÆ A. D. IV. IDUS MARTII cō lōc LXXIV.

SERENISSIMÆ CELSITUDINIS TUÆ

*humilimus cliens
& Medicus*

IO. CASP. BAVHINVS.